



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Alaricho Gottho, & quomodo Romanos adortus bello afflixerit. Capvt VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

SOZOMENI HISTOR.

riorem fluij ripam incolumis euasit, cum ex suis multos amisisset, omnino autem illos, quos Scirros uocant, Gens erat hæc satis populosa, antequam in hanc calamitatem incidisset: nam cum hi in fuga posteriores essent, alij ex ipsis interfecti, alij captiui ac uincti Constantinopolim transmissi sunt: Et cum præfectis consultum uideretur dispargere istos, ne forte, si numero ualere, aliquid tentarent noui, alios exiguo pretio uendiderunt, alios in seruitutem gratuitos donarunt, ea tamen conditione, ne unquam uel in ciuitatem Constantinopolitanam, uel in ipsam adeo Europam ingrederentur deinceps, sed intermedio mari, eo loco secluderentur, qui ipsis deputatus esset. Ex ea porrò multitudine, quæ ex his uendi non poterat, alij alibi habitare iussi sunt, multos autem in Bithynia equidem uidi sparsim ad montem, quem Olympum uocant, habitantes, & colles ibi & montium radices percolentes.

De Alaricho Gottho, & quomodo Romanos adortus bello afflixerit.

CAPVT VI.

Orientis itaque Imperium hostibus liberatum, & summo cum decore gubernatum fuit præter omnium expectationem, utpote cum iuuenis adhuc esset Imperator. At uerò Occidens in perturbatione erat, cum multi Tyranni insurgerent. Nam eodem tempore post Stiliconem interemptum Alarichus Gotthorum Dux cum pace ab Honorio petita frustratus esset, urbem obsidione cinctam oppugnat, multis Barbaris ad fluuium Tiberim dispositis, ne forte commeatus oppidanis importaretur ex portu. (sic autem Latini uocant quod Græci uocant ἐπιπέδον.) Cum autem diuturna esset obsidio, & pestis simul & fames urbem affligeret, atque interim serui multi, ac maximè quotquot natione barbari erant, ad Alarichum transfugerent, necessarium uidebatur ijs, qui in senatu adhuc pagani erant, ut & in capitolio & in reliquis templis sacrificaretur: Nam Thusci quidam ad hoc acciti ab urbis Hyparcho, promiserant se

ful-

fulminibus ac tonitruis abacturos esse barbaros. Gloria-
batur enim ab se huiusmodi quippiam esse factum in con-
seruationem Larinæ, ciuitatis Thusciæ, quam Alari-
chus, dum Romam contenderet, prætergrediens, non
cepisset: Cæterùm istarum rerum nullum fuisse futu-
rum usum, euentus ipse declarauit. Cordatis verò hæc
ob indignationem Dei Romanis euenire videbantur,
ad eorum pœnam, quæ ipsi quondam præ nimia proter-
uia ac petulantia in ipsos & pauperes iniquè deliquis-
sent: Fertur itaque probus aliquis monachus ex his, qui
in Italia erant, Romam cum festinatione profectus Ala-
richo consuluisse, vt vrbi parceret, nec se tantorum ma-
lorum authorem constitueret, cui & Alarichus respon-
disse dicitur, se non volentem hoc tentare, sed esse quen-
dam, qui se obtundendo vrgeat, ac præcipiat vt Ro-
mam euertat. quod & ille tandem fecit: Ex eo autem
quòd urbem obsidione premeret, acceptis plurimis mu-
neribus obsidionem ad tempus soluit, pactis cum eo Ro-
manis se Imperatorem inducturos, vt ab illo in gratiam
reciperetur.

*De Innocètio Antiqua Romæ episcopo, quo modo
legationem ad Alarichum miserit, & de Iouio
Italia Hyparcho, & legatione ad imperato-
rem facta: & quid cum Alaricho actum.*

CAPVT VII.

Hanc autem ob rem legatione missa, qui Alaricho
aduersabantur in aula, pacem impediabant. Postea
cum legationem eius nomine misisset Innocentius
episcopus Romanus, reuocatus Imperatoris literis Ala-
richus Ariminum venit. quæ ciuitas ducentis ac decem
stadijs Rauenna distat. Ibi ante muros ciuitatis castra
metatum cum allocutus esset Iouius Italiæ Hyparchus,
Imperatori exponit petitionem Alarichi, & quòd oportet
cum actis publicis declarari præfectum vtriusque
exercitus. Imperator verò pecuniæ & comestus copiam
vt petierat, haud secus ac Iouio Hyparcho facit, cæte-
rùm dignitatem quam petebat, se illi nunquam esse con-
cedens.

Dd iij

cefsu-